

nendo. Et hæc omnia non cum exercitu, non signis et armis militaribus, non fundendo sanguinem, nisi proprium : et in hoc ipso vicit speciatim Judæos, non modo agendo ; uti sapientia sua confundendos, e templo ejiciendo, verbo uno, in horto prosternendo ; sed etiam patiendo, dum plus cruciatum pro salute humana tolerare paratus erat, quam ipsi inferre poterant. Deinde, dum tandem ipsi manus dare, eique se submittere, aut extremum perire debuerunt, spinæ erant gentiles et Judæi, asperi moribus et horridi, quos tamen conversos in coronam gloriæ sibi efformavit.

II. Commeruisse vero non unam, sed plures, facile ostendimus. Varias Romani coronas variis donabant victoribus, primo triumphalem ei, qui non minus quam 5000. hostium una in acie occidisset. Christus non 5000. sed quinque duces potentissimos seu exercitus integros prostravit, dæmonem, mundum, peccatum, mortem, infernum. Insuper et nobis vires, hos omnes debellando suo sanguine comparavit.

Secundo, obsidionalem ei, qui urbem vel exercitum ab obsidione liberasset. Quam arcte nos obsessi a potestate tenebrarum fuimus ! Certe nulla, neque humana, neque angelica vis ab ea obsidione eripere nos poterat. Christus eripuit nos de potestate tenebrarum, inquit apost. ad Col. I.

Tertio, civicam ei, qui servasset in prælio civem aliquem. At quot cives periclitantes servavit Christus ? Quot a morbis, miseriis, dæmonibus liberavit ; quot a peccatis absolvit ? Nonne adulteram a lapidatione eripuit ? Nonne discipulos suos in Oliveto, una cum ipso quasi in prælio constitutos servavit, ut illæsi abire possent ? Denique, nos omnes a tyrannide dæmonis, ab idololatriis, et a peccatis aliis per baptismum et pœnitentiam liberavit.

Quarto, muralem ei, qui primus hostilia inscendisset mœnia. Atqui Christus omnium primus regnum Satanæ invasit, eum ejiciendo et torquendo : primus et solus limbum patrum occupavit et destruxit, captivosque inde deduxit. Purgatorium eadem expeditione, ut volunt multi, expoliavit : denique, cœli portas tamdiu clausas primus omnibus reseravit.

Quinto, castrensem, seu vallarem ei, qui primus in hostium castra pugnando irrupisset. Atqui Christus primus in fertis armati castra, quæ in pace is possidebat, insiliit, eumque armis suis spoliavit, et captivos ab eo detentos libertati restituit.

Sexto, navalem ei, qui primus in hostiles naves transiliisset. Idem fecit Christus, non so-

lum imperans mari et fluctibus, sed etiam dæmonis tentationibus, ne sævire possent.

III. Sed quæ coronæ huic victori nostro data a synagoga ? Non aurea, non argentea, non florea, non frondea, sed spinea, en ingratam synagogam ! Sane victores, qui hostilem exercitum debellasset pro re bene gesta summo triumphi honore condecorabantur olim apud Romanos, et imponebantur primo curru triumphali ornatisimo. Secundo, coronam e lauro in capite gestabant. Tertio, purpura induebantur fulgente, azro intertexta. Quarto, armillas aureas in digitis. Quinto, ramum lauri in manibus ferebant. Sexto, spectatores undique confluentes eis applaudebant, et laudes accinebant.

At videte, quem triumphum adornet Christo, tanto victori, synagoga. Primo, in locum altiorum et theatrum, sed infame, supra truncum, vel lapidem elevat, ut omnibus conspicuus, omnium fieret deridiculum : pro purpurea veste, vili et obsoleta coccinea chlamyde induit, pro corona aurea dat, et capiti ejus infigit spineam acutissimam : pro armillis funes, quibus manus ejus immitissime colligatæ tenebantur, tamdiu, et tam strictæ : pro ramo lauri dat in manus arundinem : pro applausu et laudibus dat sputa, alapas, fictas genuflexiones et scommata. En tibi mercedem, quam rependit mundus benefactoribus suis, synagoga Christo, patri patriæ suæ. Sed nimirum Christus noluit mercedem pro beneficiis suis accipere a mundo, quemadmodum et Abraham a rege Sodomorum pro obtenta victoria, et recuperata præda ne filium quidem unum, Gen. XIV. quin potius injurias, verbera, et contumelias pro mercede computavit, sciens in altero primum sæculo requirenda esse benefactorum præmia : in hoc vero optandum potius ut benefacta nostra injuriis compensentur, ut tanto majori præmio afficiantur in cælo. Contigit hoc Christo, contigit hoc apostolis ejus, qui postmodum mundum e tenebris in lucem eduxerunt, omnibusque bonis cumularunt, tandem diris ab eo supplicii enecti sunt : contigit hoc martiribus, aliisque piis. Idem optandum nobis Romæ olim victoribus quadriga certantibus datum fuit absinthium pro præmio, seu corona, quod stomachum corroboraret, ideoque in sanitatem, teste Phaio, libro XXVII. capite VII. Quid hoc ? Absinthium amarum dare victori pro corona ? Nimirum ut inde corroboratus plures alias, et majores victorias sibi comparet. Idem nobis optandum ; siquidem et hoc Christo contigit. Quare illi, qui dixerunt, Sap. II. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, turpiter errarunt, uti fatentur ipsi postea in inferno

positi, Sap. V. | Ergo erravimus a via veritatis. Nos igitur cum S. Catharina Sennensi arripiamus hic non coronam de floribus, sed de spinis, eamque imponamus nobis, ut post spinas, ibi coronemur rosis. Prævit ad hoc, exemplo suo S. Agapitus martyr, cum non plurium quam quindecim esset annorum, et capiti ejus prunæ ardentes imponerentur. Memor enim spinæ coronæ Christi exultans aiebat : *Parum est in terra caput aduri ; coronandum in cælo. Quam decora corona gloriæ ornabit caput afflictum pro Christo ?* Unde in ejus actis idem cogitemus et nos.

§ IV. CORONATUR UT REX.

I. Quis est qui sic coronatur. — II. Quomodo coronatur. — III. A quibus sic coronatur. — IV. Quæ causa hujus supplicii ? — V. Quomodo hæc pertulit.

Si cui mortalium corona debetur, regibus debetur. Est enim corona symbolum cumuli bonorum, opum, potentiæ, dignitatis, regni, gloriæ, felicitatis, victoriæ, triumphi. Quam ob causam mos erat omnium gentium, reges coronare. Huc respexere improbi Judæi, et barbari illi milites, qui coronam spineam Christo vel procuravere, vel imposuere. Regem inaudierunt, sed quia nihil regium in eo apparebat, ficta e spinis corona coronare eum et deludere voluerunt : sed videamus hunc mirum ludum.

I. Quis est, qui sic coronatur spinea corona aliisque ludibriis ? Verissimus et legitimus Judæorum rex, sic appellatus a Zacharia, c. IX. *Ecce rex tuus venit tibi : sic vocatus et adoratus a magis, qui etiam, quia homo, duplex habuit regnum in terris, habetque adhuc. Primum spirituale in animas, scilicet Ecclesiam, quam in Judea instituit ac gubernavit initio per semetipsum, postea per Petrum ejusque successores suos vicarios. Alterum physicum seu mundanum, quod habuit in omnes reges terræ, saltem quoad jus, licet actu id non adierit : et hoc triplici titulo. Primo, quia Dei Filius ; secundo, quia homo Dei unitus, seu ratione unione unionis hypostaticæ ; tertio, quia redemptor. Ut enim Godofridus Bullonius jure merito ab omnibus rex Jerosolymæ renuntiatus fuit, quia civitatem occupavit : ita Christus mundi rex, quem redemit et sanguine suo acquisivit. Ad hæc debebatur illi regnum, ratione dignitatis ex jure distributivo. Nam si in regem eligi debet, sapientissimus, potentissimus, ditissimus, nobilissimus, clementissimus, certe ipse suis dotibus omnes mortales infinitis modis superavit. Quis illo sapientior, qui divina et humana, cœlestia et ter-*

restria, aperta et occulta omnia intellexit ? Quis illo potentior, qui ventis et mari imperavit, imundos spiritus compescuit, ligavit, fugavit, cruciavit ? Morbos omnis generis ipsamque mortem facessere coegit, cohortem integram uno verbo prostravit ? Quis illo ditior, qui pauculis panibus pascere aliquot millia hominum potuit, proinde ex aere panes fecit, parique facilitate aurum et argentum potuisset : pisces, quotquot voluit, cepit ? Quis eo nobilior, qui de familia David fuit ? Nihil eo clementius, nihil et justius. Multis ergo titulis debebatur illi regnum, et quidem totius mundi ; speciatim vero regnum Judæorum, cujus erat Messias.

II. Sed jam secundo, quomodo tractatur hic rex a subditis ? Quomodo inauguratur ? Quatuor potissimum ornamenta regem decent : corona aurea, purpureum paludamentum, sceptrum regium, honor et reverentia a subditis exhibenda. Hæc omnia exhibentur Christo verissimo regi, sed ficta, ludicra, probrosa et dira ; postquam is dirissime ad interneccionem pene cæsus fuisset, corona imponitur spinea tamquam regi miserime et calamitosissimo, sanguine perfuso : illi, inquam, qui in cælo perfruebatur summa beatitudine, et qui suo aspectu beabat ac recreabat omnes angelos, delectabat ipsum Patrem suum æternum. Chlamys induitur non purpurea, sed veluti regi pauperrimo coccinea, quæ purpuram quidem referebat, longe tamen vilior erat ; tincta sanguine vermiculi rubri, qui nascitur grano tinctorio ; quia nimirum eo redactus erat, ut jam vermi potius quam homini similis esset : et hæc induitur illi, qui cælum stellis, arbores foliis et fructibus, prata floribus, aves plumis, cætera animalia pellibus, hominem vestibus tegit, et defendit : pro sceptro ei datur arundo vilissima et vacua, quasi regi inanissimo et imbecillissimo, qui nec glebam possideret, nec canem abigere aut edomare posset ; illi, inquam, qui *tribus digitis appendit orbem terrarum, qui implet omne animal benedictione, et cujus regnum est æternum, ante quem columnæ cæli tremiscunt, coram quo curvantur qui portant orbem, in cujus conspectu mundus totus gutta solum roris atelucani est ; qui verbo aut nutu uno omnes adversarios suos prosternere, et in abyssum trudere poterat. Honor et reverentia ei exhibita non erant, nisi sputa, alapæ, fictæ genuflexiones, probrosæ salutationes, derisiones ; quasi esset non rex, sed homuncio omnium vilissimus, contemptibilissimus, qui tamen erat figura et splendor Patris, ipsi æqualis, in cujus faciem desiderant angeli prospicere, Rex regum et Dominus dominantium. Et hæc omnia coram Judæis, hos-*

tibus infensissimis, qui ut viderunt eum tam misere affectum, non tamen ulla commiseratione moti sunt, sed magis magisque exacerbati velut canes rabidi in eum exclamarunt: *Crucifige, crucifige*. Prorsus sicut canes cum quem oderunt, nec conspectum ejus ferre possunt, quin statim in eum latent dentesque exerant. Vidi canem, qui vel audito nomine hominis, quem oderat, mox iram et rancorem suum latratibus ostendit. Quod etiam Judæi fecerunt. Cum enim audiunt Pilatum dicentem; *Ecce rex vester*, mox illi exclamare et latrare: *Tolle, tolle, crucifige*: ut verissime de illis dixerit per Psalmist. Dominus: *Circumdederunt me canes multi*, Ps. XXI. Quis quæso tale spectaculum unquam vidit? Quis enim si vel parum aliquid hominis habet, afflictus non miseretur, etiam hominis rei et mali? Solent certe ipsi auctores, cum reum puniri in corpore vident, vitam ei precari: spectatores condolare iis, qui suppliciis afficiuntur: malefactoribus magistratus pœnas mitigare: ipsi lictores et carnifices solari et animare miseros. At Christo afflictissimo nemo est qui condoleat ex tanto numero; quinimo omnes ei insultant, ei spinas suis sannis profundius infingunt. Quis audivit talia horribilia?

III. A quibus sic coronatur, illudatur? Primo, qui hoc probrum ei procurarunt, fuerunt primarii Judæorum, principes sacerdotum, Scribæ et Pharisei; qui plus aliis illuminati, et edocti agnoscere eum pro rege suo debebant: qui auctoritate sua populum everterunt, ut contra conceptam jam de Christo honorificam existimationem subito mentem mutaret, et pro nequissimo haberet, quem prius pro sanctissimo, imo propheta magno et Dei Filio habuit. Fuerunt illi, qui a Christo ejusque Patre in cathedras exaltati, et donis multis cumulati fuerant. Fuerunt illi, quorum honori Christus studuit, mittendo ad eos leprosos: quorum vulnera sanare, quosque sicut gallina pullos suos, toties sub alas suas congregare conatus fuit: qui denique ipsius gens et fratres, ac postremum creaturæ, subditi et mancipia erant. Secundo, qui hunc ludum cum ipso luserunt, erant milites barbari, crudeles, vilissimi. Quis autem non asperius fert injurias a vilissimis homuncionibus, sibi arrogatas?

IV. At quæ causa hujus supplicii? Quomodo id commeruit Christus? Nam primo, ipsa innocentia fuit, adeo ut nec peccare posset vel minimum. Ipsi ejus hostes nullum ei peccatum poterant objicere, sed nec in eum confingere: *Qui iniquitatem non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, Isa. LIII. Secundo, summus gentis suæ be-

nefactor, et pater patriæ fuit. De cælo in Hebræorum terram propter ipsos primo, venit, ut eos aberrantes viam cæli doceret, exemplo suo duceret, et ad sequendum alliceret atque animaret, beneficiis et miraculis innumeris sibi devinceret, pro quibus sanguinem fundere et vitam ponere statuit.

At regnum affectavit et Christum regem se asseruit, aiunt. Calumnia est ista. Conjuratus a summo pontifice, utrum esset Christus, asseruit. A Pilato utrum rex esset, asseruit; sed eo sensu, quo Judæi per regem Judæorum intelligebant Messiam, non quo nequiter calumniabantur affectari ab ipso regnum terrenum; unde mox Pilato se explicuit, quod non esset rex in hoc sæculo. Deinde quando Judæi post miraculum panum, rapere eum volebant et regem constituere, nonne ipse fugit? Rursum occur isti cives Jerosolymitani ingredientem in civitatem regem appellarunt? Nonne ex oraculo prophetico? Denique quid, apparuit in Christo, quod regem aliquem terrenum, vel regni insidiatorem saperet? Ubi ejus divitiæ? Ubi palatium? Ubi regnum? Ubi satellites? Nonne hoc Pilatus eis inculcat, dicens: *Ecce rex vester*, q. d. stulti! Quomodo hunc regem metuitis? Quid in ipso regium?

V. Et has tamen omnes injurias quomodo pertulit hic rex summus et verissimus? Aequissimo, fortissimo, pacatissimo animo. Non de injuria protestatur, non de inhumanitate conquestus, non vindictam minatus est: nihil relaxationis petiit, non calumnias refutavit, non beneficia exprobravit, nihil oblocutus est, qui summo jure, summaque potentia omnes repente poterat opprimere. Deus bone! Quis hoc in mundo non dico rex, sed vel cordatus homo unquam tollerasset? Sed nimirum voluit Dominus heroicam patientiæ et fortitudinis exemplum nobis præbere, ut sequamur vestigia ejus. Vidit etiam has injurias sibi a Christianis aliquando compensandas, pro corona spinea imponendam auream charitatis: pro cocinea veste purpuream sanctitatis et castitatis: pro arundineo sceptrum ferreum constantiæ et martyrii: pro sputis et alapis, honorem et reverentiam.

§ V. CORONATUR UT VICTIMA.

I. Aliena expiavit peccata. — II. Ligatus est. — III. Coronatus est. — IV. Immolatus a sacerdotibus. — V. Destitutus omni lætitiâ et consolatione.

Eousque devenere olim homines, ut coronæ quæ olim teste Plinio, lib. XVI. c. IV. solo Deo dabantur, postea etiam bestiis, quæ diis immo-

landæ erant, imponerentur; ut testatur ibidem Plinius, et attestantur Acta apostolorum, c. XIV. de Lystrensibus, qui Paulo et Barnabæ sacrificare velut diis cupientes, adduxerunt tauros et coronas, h. e. tauros coronatos. Bene ergo ex hoc etiam capite Christo imposita est corona, quia pro humano genere victima esse voluit, ac nisi simul Deus fuisset, sufficiens pro peccato hominum non fuisset. En quousque se demisit Deus nostræ salutis causa! Eousque ut jumentum quasi et victima fieret. Sed quo modo et honore victima hæc excepta sit, videamus.

I. Victima non sua, sed aliena expiavit peccata. Quid enim, v. gr. commisit aut committere potuit ovis, vitulus aut hœdus, ut pro populo mactari et immolari deberet? Sed parum est, pecudem pro homine mactari, at hominem innocentem pro nocentibus mactari, hoc commiseratione dignum, et tanto magis, si ipse se sponte sua ad hoc offerat ex charitate, uti Christus Dominus fecit. Vidit is quantam stragem edere deberet justitia divina in humano genere, peccatis et pœnis obnoxio; ergo ut innumeros reos ab imminente sibi gladio eriperet, ipse suam suppone cervicem voluit. Magni æstimarunt Romani M. Curtii primæ nobilitatis adolescentis amorem erga patriam, quando ad saturandum atque implendum, qui Romæ exortus erat, hiatum terræ, sese sponte demisit. Populus enim in ostensionem debitæ gratitudinis, et honoris gratia, dona varia et fruges super ipsum certatim injecerunt, ut est apud Valer. Max. lib. V. c. VI. Quid nos jam debemus Christo de Filio, qui, ut hiatum inferni, exitium nobis minantem, clauderet, ultro amore nostri in mortem insiliit? Sane Hebræi quando in captivitatem ducebantur, et in via multis injuriis affecti velut pecora cervicibus minabantur, graviter id ferebant, existimantes se majorum suorum, non propria peccata luere. Unde Thr. V. aiunt: *Patres nostri peccaverunt et non sunt: et nos iniquitates eorum portavimus*; cum tamen et ipsi rei essent. Quanto potiori jure poterit queri Christus ac dicere: *Subditi mei, creaturæ meæ, majores mei, et qui post me erunt, peccaverunt et non sunt, et ego iniquitates eorum porto*; juxta id Isa. LIII. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*.

II. Ligari et adduci ad ostium tabernaculi debebat, Levit. I. Sic etiam Abraham immolaturus filium suum prius alligavit, Gen. XXII. ne motum aliquem involuntarium et sacrificio indecentem ederet. Pari modo Christus immolandus vinctus est, et arcte quidem funibus constrictus. Pecudes ligantur in cornibus, adeoque sine do-

lore et dedecore. At Christus ligatus fuit in manibus, pari dolore et dedecore, difficile enim hoc ferunt animi generosi. Unde S. Bern. tract. de passione, c. IV. « Bene quidam rex, inquit, cum percussus humana sagitta peteretur, ut se ligari permitteret, donec excinderetur; quia levissimo motu mortem posset incurrere; non decet, inquit, vinciri regem. Libera sit regum, sit semper salva potestas. » Sane Samson quando amore patriæ suæ persuasus tradidit se ligandum et dandum in manibus Philisthæorum, ubi eos vidit vociferantes sibi occurrere, non ferens eorum insultationes, rupit vincula, et correpta mandibula asini percussit ex eis mille viros, Judic. XV. At vero Christus amore nostri et vinciri se permisit, et vincula rumpere noluit, cum facillime posset; ne nos vinciremur et ad macellum duceremur. Si enim ipse in passione sua vel parum se movisset, defendendo se, ipse quidem salvus fuisset, nos autem perissemus.

III. Serto coronabatur ex frondibus facta; verum Christus sero e spinis confecto coronatur, quasi bruto deterior et vilior sit. Hic jam apparet aries ille cornibus hærens inter vepres, quem pro filio suo immolavit Abraham, Gen. XXII. Christum designans spinis coronatum et pro hominibus immolatum. Nihil doloris sensit aries ille ex vepribus; (quid enim cornua et durissimum caput ejus sentirent?) At non ita Christus, qui nimium quantum sensit spinas. Quid? Leonem non semel legitur edomuisse et ad hominem opem implorandam coegisse spina unica pedi ejus infixâ, quid igitur doloris sensisse putamus Dominum ex tot spinis.

IV. Sacerdos ponebat manus super caput hostiæ; indicans se peccata populi imprecari hostiæ; et pœnam a populo in eam transferre. At vero Christo Domino primo, sacerdos summus Caiphas, deinde omnes sacerdotes et seniores, denique omnis populus ab eis perversus imposuere manus, omnia peccata sua et commeritas pœnas ipsi imprecantes et imponentes clamando: *Reus est mortis: tolle, crucifige*. Non erat in tanto populo vel unus, qui pro Christo staret. En tibi ficum illam sterilem, ante paucos dies maledictam, in qua nec unam quidem ficum esuriens reperit Dominus. Accersere deinde milites, qui ei coronam spineam frequentatis ictibus profundius infixerunt, insuper et alapas in faciem addiderunt. Auxerunt Christo dolorem ipsi ejus discipuli, quorum alii dispersi et in ipso scandalizati erant, alius negavit, alius se suspendit. Auxit etiam tametsi invita, sanctissima ejus mater, quam gladio doloris, sui causa, transfixam sciebat, et cum grandi compassione sentiebat. Sed

quod maxime sensit Christus, et profundissime infixit illi spinas, erat prævisa tot hominum ingratitude, qui ex passione ejus nihil fructus accepturi, sed gravius se vulneraturi erant.

VI. Nec oleum, nec thus addi sacrificio pro peccato voluit Deus, Lev. V. cum tamen ea in aliis requireret sacrificiis. Christus hostia pro peccato fuit: quare et oleo et thure destitui debuit. Oleum, lætitiā et consolationem, thus, odorem bonæ famæ significat. Utroque caruit Christus spinis coronatus. Nam primo, omni solatio et patrocinio in tanta civitate tantoque hominum confluxu destitutus, et solus in cohorte militum velut agnus inter lupos derelictus fuit, etiam ab ipso Patre suo cœlesti, quin et a seipso, ita ut animæ ejus beatitudo tunc sensitivam ejus partem nihil afficeret aut sublevaret. Deinde, in illo derisorie coronationis ludibrio omnem suam famam et existimationem, tanta prius in æstimatione, habitam, coram Judæis et gentilibus amisit, adeo ut jam pro nefario et sceleratissimo reputaretur, qui prius habebatur sanctissimus: jam nil amplius posse, nihil sapere videretur, qui prius *propheta magnus et rex Israel* vocabatur; jam cum nemo tangere vellet, sed omnes horrerent, qui prius certabant inter se, ut vel vestem ejus tangere possent, quique parvulos suos, ut eis manus imponeret, ipsi offerebant.

Superest ut nos huic sanctissimæ victimæ, pro nobis tam benevole sese offerenti, tamque indigne habitæ gratos exhibeamus. Audivimus quid M. Curtio fecerint Romani, qui omnis generis munera ad ipsum injecerunt in hiatum: sed quid hoc juvabat? Nos sacrificium sacrificio, victimam victima compensemus. Dedit se nobis Christus, demus nos ipsi quoque, *sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicias*, hoc est, quod a nobis petit: *Cor contritum et humiliatum*. Sed quia hoc ipsum absque Dei auxilio acquirere non possumus, dicamus cum Sancto Augustino: *Da quod jubes, et jube quod vis*.

§ VI. CORONATUR UT CONVIVA.

Qui convivæ cibi? Quæ vinea?

I. Spinea corona. — II. Vestis coccinea. — III. Arundo in manum data. — IV. Alapæ innumeræ. — V. Sputa in faciem ejus congesta. — VI. Derisio, ficta adoratio et salutatio.

Huc usque devenere coronæ, ut etiam convivæ apud gentes, quemadmodum apud Hebræos symposiarchæ (ut colligitur ex Eccles. c. XXXII.)

gestarent coronas. Id quod etiam invaluit apud Germanos nobiliores, ut in circularibus conviviis, qui socios invitare et convivio excipere deberet, corona prius imposita ad hoc admoneatur. Passio Christi Domini convivium quoddam fuit. Ipse enim Christus appellat eam: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* ait Petro, Joan. XVIII. Jeremias vero, Thre. III. opprobria passionis ejus comparat cum cibis seu lauto convivio. *Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobriis*. Coronam igitur gestare debuit. Sed quale convivium? Qualis corona.

Qui cibi, quæ vina hujus convivæ? Omnis generis cruciatus et dolores, contumeliæ et opprobria: alia cum aliis, commutata et sibi succedentia, colaphi, falsa testimonia, criminationes, derisiones, flagella, spinæ, sputa, alapæ, cachinni, fictæ adorationes et salutationes; post quæ secuta crux, fel, acetum, probra, sitis, mors, lancea. Quid mirum ergo si in monte Oliveti oravit Dominus, ut calix hic ab ipso transiret, in quo tot venena et mortis ac dolorum instrumenta vidit sibi exhaurienda? Petrus certe cum in somnio offerentur ei omnis generis quadrupedia et serpentina manducanda, abhorruit, et; *Absit Dominus*, inquit, Act. X. Neque vero ad hæc tam horrida fereula sumenda quidquam condimenti appositum fuit, quale postea in tormentis suis sensere ss. martyres; nulla consolatio a quoquam ei subministrata fuit. Verum solos hic contemptus in coronatione Christo illatos videamus.

I. Primus ergo cibus erat spinea corona. Si straminea corona honesto viro imponeretur, quantæ id sibi ignominie duceret? At quid vilis spinis? Quis honestior ipso Deo? Illi, qui creavit aurum, argentum, gemmas, uniones, flores et omnem mundi pulchritudinem, nihil aliud pro ornatu datur, quam quod habetur in mundo contemptibilissimum. Pro ignominia haberet et graviter plecteret rex, si quis ejus coronæ vel unam vitream gemmam insereret, uti fassus est Arcadius imp. S. Chrysostomo, apud Metaphr. in vita Alexand. M. nautam, qui ipsius diadema in mare delapsum, natando apprehendit, et capiti suo impositum attulit, capite muletavit, teste Gregor. Ea mortalis rex ferre non potest, ut ipsius pileum plebei hominis caput tangat: et Rex regum immortalis ferre debet, ut fictitia et spinis corna ipsius verticem dedecoret?

II. Vestis coccinea, fictam purpuram referens. Persarum regis vestem si vel lacram et donatam sibi quis induisset, capite luebat, ut re-

fert Plut. in Artax. At hic vestis lacera et contempta ipsi cœli et terræ Regi induitur. Memini cuidam, qui per alchimiam ficto auro deluserat principem, patibulum extractum fuisse, auro fictitio obductum ad majorem ejus confusionem. Quæ confusio Christo verissimo ac summo Regi fuit, fictitia indui purpura? Quis honestus ferret sibi notam hominis stulti ad vestem suam assui?

III. Arundo in manu ejus; quam ipse Christus apprehendere et sustinere manu sua, adeoque spectatoribus suam ipsam inanitatem, stultitiam, præsumptionem ostentare et deridendam proponere, ad majorem suam confusionem debuit. Auxit confusionem, quod subinde milites arundinem e manibus ejus eripiunt, eaque spineam coronam capiti ejus altius intrudunt aut percutiendo infigunt, rursusque in manu ejus tenendam reponunt; ita ut instrumenta ignominie suæ ipsemet gestare et subministrare suis delusoribus cogatur. Quis audivit talia vel maximorum scelerum reo fieri? Durum fuit leprosis præceptum in Levitico XIII. quo tenebantur seipsos sordidos ac contaminatos clamare. At vitium id naturæ fuit, non voluntatis. Christus tenendo et præferendo arundinem pro sceptro, vanum se ac fictitium regem, imo regni insidiatorem clamare monstrato symbolo compellebatur.

IV. Alapæ innumeræ. Nemo nescit quantum vel una alapa viro honesto confusionem afferat. Plerique mox ad gladium recurrunt, vel ad duellum provocant, et sanguine compensare alapam volunt, nec raro cædes propterea fiunt. Sane quando Jeroboam rex extendit solum manum, minaciter contra virum Dei, jubens eum apprehendi, subito Deo ulciscente exaruit manus ejus, ut non posset eam retrahere, III. Reg. XII. Hic milites impiissimi in faciem cædunt Filium Dei et quidem impune. Paulus a pontifice percutei jussus: *Percutiet te Deus*, inquit, Actor. XXIII. prædicens ei vindictam Dei ob tantam injuriam. D. Augustinus, lib. I. de serm. Domini in monte, c. XXXVIII. refert homini, qui Thomæ apostolo alapam impigerat, vitam a leone ereptam, et manum a cane præcisam, mordicusque apprehensam in domum, ubi apostolus cœnabat, illatam, testem divinæ ultionis omnibus, qui aderant, futuram. En apostoli sui alapam sic ulciscitur Christus, et suas non ulciscitur.

V. Sputa in faciem ejus congesta; in faciem, inquam, in quam angeli desiderant prospicere. Sputa velut abominabilia in angulos ejiciuntur vel pedibus obteruntur ne vel aspectu suo nauseam aliis moveant. Isti in Dei faciem spuunt, quod Job in spiritu prævidens et quasi rem in-

tolerabilem non ferens dixit: *Abominantur me, et longe fugiunt a me, et faciem meam conspuere non verentur*, c. XXX. Putant alibi Jobum quoque vere et proprie loquendo consputum fuisse et quidem ab ignobilibus hominibus, Jobo infensis, qui ejus calamitati insultabant. Id ergo tam acriter sensit, et non immerito. At quanto magis sensisse putamus Christum, a vilissimis hominibus ad placitum et conspectum Judæorum, sibi infensissimorum, consputam faciem suam? Puella, quæ in Fabiæ Eudociæ, uxoris Heraclii imp. elatæ feretrum de fenestra expuerat, jussu Heraclii, rogo uxoris illico imposita et viva combusta est, Cuspin. in Heraclio. At hic in cœlestis Regis faciem innumera et fœdissima sputa a vilissimis lixis et calonibus impune conjiciuntur. O rem indignam!

VI. Derisio, ficta adoratio et salutatio. Acutissimum telum est derisio, quod vel S. Eliseus impune ferre non poterat, cum deridentibus se pueris maledixit, eaque maledictione ursos duos e silva evocavit ad dilacerandos pueros, IV. Reg. II. quamquam in nomine Domini seu jussu Dei. Scimus multos principes in sui derisores gravissime animadvertisse. Heliogabalus imp. cum Alexandriæ existens, convicia quædam civium in se jactata audivisset, omnem eorum pubem convocari in planitiem juxta Nilum jussit, quasi eam lustraturus, post exercitu circumdatam mactari jussit, sicque flumen eorum sanguine coloravit, Suida auct. Alii ut Severus et Caligula, si quis vel modicum eos risisset, plecti eum jusserunt. At hic quot convicia exonerantur impune in Regem sæculorum.

Jam quo animo hæc omnia tam acerba pertulit Salvator? Summa patientia, summo silentio, ut nec quidem loqueretur, dum hic ludus cum ipso luditur. Nimirum Christus prædæ animarum nostrarum intentus, cum eam jam apprehendisset, tam constanter retinuit, ut nullis probris ac clamoribus inde avelli posset: nec verbera et spinas curaret, modo rosas e spinis legeret. Quemadmodum ergo Noe vino sopitus non animadvertit derideri se a filio: ita Christus amore nostri inebriatus non curavit derisores suos. In Sophitis terram Indiæ cum venisset Alexander M. donavit ei Sophites 150. molossos ad venationem ingenuos; e quibus cum duo immisi essent in leonem, mox cum retinuerunt; tum jussit Sophites unum abstrahi, ac si non posset, crus ei abscindi. Mirum; canis alto vulnere crure potius se truncari, quam prædam sibi eripi passus est. Refert Strabo, l. XV. Incubuit et Christus spinis coronatus prædæ animarum; unde non æstimavit iacturam famæ, exis-